VII

ORATIO

# D. F. MARTINI ROIAS PORTALRVBEI

ILLVSTRISSIMI AC Reuerendiss. D. M. Magistri, ac totius Ordinis Hierosolimitani Oratoris.

TRIDENTI IN GENERALI CONGREGATIONE,

Die VII. Mensis Septembris. M. D. LXIII. habita.






BRIXIAE AD INSTANTIAM IO: BAPTISTAE BOZOLAE.
M. D. LXIII.



VM Nuntijs, multorumque literis Magno Magistro ordinique nostro (Reuerendissimi & Illustrissimi Præsides, Oratores clarissimi, Patresque amplissimi) nuntiatum, & significatum fuisset, hanc sacrosanctam Tridẽtinam Synodum, non parua Antistitum frequentia haberi, & celebrari: tantum lætitiæ, et uoluptatis accepimus, quantum ex ea re debuimus, cuius nos bonosq; omnes, multum atq; diu contorserat expectatio. Nam ut antea, pro nostra in Deum Religione et pietate, præcipuus erat dolor, ex miserrimis, maximè calamitosis, et turbulentis. Eccl. temporibus, à nobis susceptis: ita nunc, eximiæ cuiusdã læti tiæ causam afferebat, noua trãquilitatis spes, ad quã sacrosancti huius Conuentus nomen atq; frequentia inuitabat. Haud.n. aliter nobis persuasum fuit, quàm sicut ipse conciliorum author & præses Deus, ad causam suam agendam, hoc tempore uos aduocauit: ita actiones uestras directurus, & illuminaturus, ut quicquid à uobis decretum, & constitutum fuerit, id non ipsi solum Deo gratissimum, reique publicæ Christianæ utilissimum fore: sed etiam summam pacem, summamque concordiam, & tranquillitatem, mortalibus omnibus perpetuò allaturum. Quãobrem, tam fausto atque iucundo nuntio accepto, post incredibilem animis nostris conceptam lætitiam, decretasque plurium dierum supplicationes, & maximas Deo Maximo habitas gratias, optabat quidem, Prudentissimus, uigilantissimusque Magister noster, in hoc amplissimo, & celeberrimo totius Christiani orbis Conuentu, unà cum tot summis ecclesiæ uiris, & de rebus maximis & grauissimis, ad totamque rempub. Christianam pertinentibus, constituentibus, præsens adesse (quid enim illi aut gloriosius, aut optabilius accidere poterat?) quò sui totiusq; ordinis propensum animum, promptamque uoluntatem singulare studium, curam & diligentiam, in re Christiana tuenda, propaganda, & amplificanda maiori cum ardore, & fide testatissimam, & conspicuam nobis facere, & ostendere posset: Verùm cũ negotia Insulæ nostræ, inimicis Catholicæ fidei expositæ, in qua

*tuenda, & defendenda, magna adhibenda est diligentia: rumoresque qui de Turcica classe, nostris ceruicibus assiduè imminenti, atque etiam de Draguto Archipirata, alijsque prædonibus maritimis increbuerant, id minimè paterentur: quod ipse adire munus maximè cupiebat, neq; ullo modo præstare poterat, id ex publico totius nostri ordinis senatu, Nicolao Durãdo Villagagnono, equiti nostro, ac singulari prudentia, & eruditione ornato uiro, planeque digno, cui tanta prouintia committeretur, mihique pariter demandauit. Qua quidem in re, onus quod mihi impositum est libens (si adesset) collegæ concessissem, adeò de ingenio meo, exercitationeque dicendi (quæ scio quàm sint exigua) nihil mihi sumere soleo: uerùm & necessitate (quam & collegæ absentia, & superiorum præcepta afferunt) coactus, ac de uestra humanitate planè confisus, ad pauca uobis exponenda accingor. Quorum cùm duo sint omnium capita; hoc præcipuum est, ut quamuis pro comperto habeamus, reque ipsa iam satis experti simus, uos (utpote Pastores) longè prudentissimos, omnia quæ ad Dei omnipotentis gloriam, Ecclesiæ catholicæ exaltationem, Populique Christiani pacem, & concordiam maximè sunt necessaria, eo studio, & animi ardore esse curaturos, ut nullius recordatione, aut monitione indigeatis: Præsertim uirorum militarium, quibus arma magis, & nauigandi instrumenta quàm ullius facundæ atque expolitæ orationis ornamenta sunt nota: Attamen quia uniuersa, quæ hic tractantur negotia, ad nos etiam non parum pertinere uidentur, tanquam non otiosa reipublicæ Christianæ membra (ut inferius declarabimus) non alienũ à partibus nostris existimamus, si uos sponte uestra currentes, hortationibus nostris accendere conemur. Et non cum diuitibus ingentia munera, sed cum illa uidua paupercula, in Galophilacium Dei, minuta duo, hoc est quadrantem, ex inopia & indigentia nostra, puro sinceroque animo offeramus. Nam cùm in tempora hæc, adeò peruersa, & dissoluta, ueroque Christi cultui, exemplisque sanctorum repugnantia, inciderimus, ut uitia pro uirtutibus habeãtur; ne fermè sit aliqua prouincia, respublica, curia, aut senatus, qui ab sparsis erroribus, prauisque persuasionibus eximatur; in uestraque sit situ potestate, tot malis remedium adhibere, omnesque ab his periculis liberare; æquum profectò est,*

*ut quoniam nulla alia re maior perniciosiorque existat animorũ, disiunctio, reique publicæ perturbatio, quàm ex sententiarum quæ de Religione habentur dissidio ac discordia: ea in hoc sacro-sancto cœtu, de Doctrinis publicè proponantur, & constituantur; quæ (tot erroribus & falsis persuasionibus expulsis) omnes ubique Christi fidem professi teneant, & credant, amplectãturque, & sequantur. Sic enim ignaræ, & imbecilli multitudini, opportunè consuletis; & robustiorum firmiorumque mentes in Religione semel accepta, magis, magisque indies confirmabitis. Ad hæc, cùm non parua ecclesia detrimenta, & incommoda, quæ rempublicam Christianam etiamnum perturbant, ex corrupta uita morumque Christianorum disciplina, exorta fuisse plerique fateãtur, dum ab illa priscorum temporum sanctitate, & innocentia, omnes degenerarint: ut hæc etiam in parte curetur: quò ij præsertim qui reliquo populo exemplo debent esse uirtutis, & sanctitatis, ad Germanam, ueteremque ecclesiasticæ disciplinæ obseruationem traducantur. Agite sanctissimi Antistites, uosque alij uiri longè prudentissimi, & ad salutem Reipublicæ Christianæ, totis pectoribus totisque animis incumbite; eaque de doctrinis & moribus deliberate, decernite, & statuite, quæ sanctissimus ille huius sacri concilij Gubernator, & rector, Paracletus spiritus, uobis suggesserit, quæque Populus omnis christianus, pro certissimis ab ipso Deo editis oraculis, libens complectatur, & teneat. Sic enim unius Christi seruatoris nostri gloriam insanis dogmatis, corruptis atque perditis moribus nostris obscuratam (penè dixerim sepultam) illustrabitis, & propagabitis; sponsæque suę languenti, atque sordescenti, pristinam sanctitatem, & pulchritudinem restituetis. De Magistro autẽ & societate nostra (quando me suę uoluntatis Nuntium, & interpretem esse uoluerunt) id uobis amplissimi Patres spondeo, atque sanctè promitto: quę ab hoc sanctissimo conuentu decreta emanabunt, ea omnia prompto alacrique animo acceptaturos: & obseruaturos, eorumque curam, patrocinium, & propugnationem (pro ut ad eos attinet) suscepturos; pro ijsq; omnibus non fortunas modò & facultates, sed etiam uitam & sanguinem (si opus fuerit) esse effusuros. Quod uerò ad alterum orationis istius caput pertinet, huiusmodi est, ut cùm ordo noster de republica*

Christiana tam benemeritus sit nulli ut (quod pace aliorum dixerim) in hac parte concedere debeat: hicque tantis calamitatibus hodie subiaceat, quibus hac tempestate, sine uestro Auxilio liberari minimè possit: nos patres Amplissimi, ea erga illum pietate utamini: qua se so preces suas nō frustra nobis porrexisse, ac dolorem suum exposuisse intelligat. De quo mihi (quęso) ignoscite, si quędam summatim in pręsentia perstrinxero, ne sine maxima ac iustissima causa, ad hanc petitionem descendisse uidear. Et (ut ab eius antiquitate principium faciam) quadraginta fermè annis, ante Asiaticum, quod & sacrum etiam dicitur, ac cōmunibus, Christianorum armis (Godofredo duce) gestum est bellum ordinis nostri, fundamenta in Hierosolima urbe locata esse constat; quanquam nonnulli ea pluribus antea seculis, à Ioanne Hircano Machabeorum gentili iacta fuisse aiunt: Quandoquidem is nobile quoddā extruxerat Xenodochium, super cuius ruinis, nostrum postea ędificatum fuit. In quo primi illi nostri, ac uetustissimi maiores, tanta semper exercuerunt pietatis officia; ut postea ipsemet Godofredus; cùm urbem ipsam Barbaris recepisset, eorum institutum, ac humanitatem admiratus, eos liberalitate sua augendos atque ornandos duxerit: dum Xenodochij facultates, tanta hospitū multitudini, qua ad ipsum assiduè Hierosolimā confluebat, alendę minimè sufficere intelligeret. Qua nō contentus propter insignem eorum fortitudinem, & fidem, quā multis experimentis exploratam habuerat, loca quędam Munitissima, ijs contra Barbaros asseruanda commisit. Hinc cum sancta illa hospitalitate, intrepida, Christianaq; in nostro ordine militia, coniungi cępit: quibus tanquam caput cultus diuinus superimpositus est, ac in his quidem piè ac fortiter exercendis, cū ordo noster perpetuò incumberet (omnipotente Deo summorum Pontificum, Principum aliorumque piorum hominum permouente) tandem effectum est; ut non exiguum facultatum eius, atque fortunę acceperint incrementum, adeò ut nostri huiusmodi opibus, tanquàm aptissimis instrumentis usi (dictu difficilè est) quàm gloriosa facinora terra marique contra Barbaros Christi hostes per multas ętates ędiderint. Quę si mihi sigillatim recēsenda essent, tempus potius quàm materia deficeret. In quibs licèt ad hunc usque diem, semper perseuerarint: non defuerunt, tamen nec

adhuc desunt; qui omni humanitate, et pietate reiecta, nos terris, ac possessionibus expellere; ac omni honore, et auxilio spoliare nituntur. Adeò ut in eas angustias iam redacti simus, ut si maximè uellemus muneribus solitis satisfacere, minimè possimus; Quorum sanè crudelitas (si quando Reipub. Christianę perniciosa fuit) nunc certè multò perniciosior esse apparet: Quandoquidē Melitę in qua cōmoramur, inter Siciliam & Africam sita, ceu commodissimum propugnaculum, contra Barbarorum potentiā, quę nunc in immensum creuit, oppositum fit; clarissimasque prouincias (Italiam dico atque Siciliam) quibus illi inhiant, atque ab eorum insultibus quodammodo tueatur atque defendat. Qua (quod Deus auertat) semel amissa, nè illud haud dubiè grauissimum toti Reip. Christianę, ac forsitan insanabile uulnus accideret: ut iam non nostrò solùm, sed omnium qui ubiq; sunt Christianorum nomine; Vos patres pientissimos, Magister, ordoque noster uehementer obsecrat: Vti antiquitatis, nobilitatis, ac maximorū meritorum in Christianam remp. ab ordine nostro profectorū memores, necnon periculorum (nisi eidem opportunè succurratur) non tam illi quàm cunctis imminentium recordati; Auxiliatres charitatis uestre manus, eidem porrigatis: utq; possessiones, atq; comendę, cęteraq; quę per summam uim, & iniuriam eidem erepta sunt bona, restituantur; ac ne ea imposterū à quoquā usurpētur, néue alijs ab ordine nostro alienis conferantur, decernatis: Immunitates quoque ac Priuilegia nostra, ne ea quisquā in futurum uiolare audeat, confirmetis. Denique cuncta singulaq; ad eundem ordinem pertinentia, in uestram tutelam ac fidem suscipere dignemini. Quę quidem perficere si in animum induxeritis, pręter quàm quòd rem & operam, humanitate, et authoritate uestra dignam efficietis, tum societati nobilissimę quàm optimè consuletis; Tum & de Republica Christiana (cui nos perpetuò militamus) hac quoque in parte, pręclarè atq; ampliter uos esse promeritos omnes pręedicabunt.

D I X I.

*RESPONSVM SANCTAE SYNODI, IN admißione Oratoris, Illustriß. ac Reuerendiß. M. Magistri, & Ordinis Hierosolimitani, in generali congregatione. Die. 7. Mensis Septemb. 1563.*

*Illustrissime ac Reuerende Orator.*



*VOD Illustrissimus & Reuerendissimus Magnus, uestri ordinis Magister, ad hoc Sacrum Generale Concilium, ut optabat ipse non uenerit, tuque munus istud tuum non citius obiueris, Sancta Synodus excusationē quam attulisti, ut iustam accipit. Nam cùm non ignoret eximium uestrum erga Sanctam Apostolicam Ecclesiam studium, cuius in Magnis Christianæ Reip. periculis, contra immanissimos nostri nominis hostes, testimonia extant quam plurima: non dubitat, nisi piratæ, iter impediuissent, quin multo anteà, sacer iste tuus; ille uester ordo fuisset declaraturus, quantum hunc Sacrosanctum conuentum probet, atq; eius progressus ex animo, ut Christianos decet, exoptet. Nunc te nobilissimi Ordinis oratorem, & Ecclesiæ dilectum filium, quando Militum Christi, & acerrimorum ueræ religionis propugnatorum, piam, & Christianam uoluntatem testaris, hæc Sancta Synodus libenter excipit, atq; ex luculenta illa, quæ modò à te habita est Oratione, totius illius ordinis pietatem erga Deum, uniuersamq; rempublicam agnoscit, uehementerq; diligit. Quæ uerò de commendis, & priuilegijs uestris conseruandis diligenter petijsti, in his Sancta Synodus habebit (quatenus licebit pro charitate, qua Magnum Magistrum sacræ istius religionis, atq; illum ordinem amplectitur) rationem dignitatis, & commodorum uestrorum.*

*BRIXIAE apud Ludouicum Sabiensem.*

